

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

Quomodo vniuersum orbem, breui spatio Christi fama peruaserat. Cap. III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

ipse probauerat, respuit, Cæsar in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum. Hactenus Tertullianus. Quod quidem sine dubio cœlestis & diuina prouidentia nutu suo commode eius animo iniecerat, quo sermo euangelicus, qui iam inchoatus erat, liberè & absque impedimento ubique terrarum peruerteret.

*Quomodo vniuersum orbem, breui spatio Christi fama
peruaserat.*

CAP. III.

Ta quidem certe cœlesti diuinaq; virtute & præsidio repente nulla fere mora interposita tāquam quoddam solis iubar, salutare Dei verbum vniuersum terrarum orbem suo splendore collustrauit, sacrarū literarum testimonia apposite respondens. In omnem terram sonus diuinorum euangelistarum & Apostolorum exiuit, & in fines orbis terræ verba eorum. Atque ecclesia quidē Christi, non aliter quām area, quæ tempore messis immenso frumenti numero de repente cōpleri solet, infinita prope & innumerabili multitudine hominum in cunctis ciuitatibus & vicis veram religionem ac fidem amplectentium subito referta est. Et qui nō modo ex serie quadā à maioribus deriuata, verum etiam ex errore ab antiquis temporibus ducto, mentes suas vetere superstitionis morbo, quasi vinculo quodam in colēdis simulachris illigassent, hi Christi tandem virtute quæ partim per discipulorum eius doctrinam, partim per miracula ab eisdem edita omnibus perspicue patefacta fuit, illis malis tanquam grauis simis dominis liberati & acerbissimis custodiarum cætēnis absoluti omnem sceleratam & execrabilem multorum deorum venerationē omnino detestari atque adeo vnum solum Deum, omnium rerum opificem ingenuē confitenti. Iustumq; ipsum veræ pietatis institutis per diuinam ac plenam modestiæ religionem, quæ à seruatorē nostro in hominum vitam sparsa ac disseminata fuerat, sanctè venerari cœperunt. cum igitur diuina iam gratia non inter Iudæos solum, verum etiam inter gentes diffusa fuisset, & Cornelius, qui Cæsaream Palæstinæ insoluit, cum vniuersa familia per diuinam quandam visionem

Psal. 18.

EVSEBII HISTORIAE

tionem, perq; Petri ministeriū primus esset fidem in Chri-
stum amplexatus, & complures alij Græci Antiochiae,
quibus discipuli, dum Stephanum Iudæi persequebatur,
varijs locis dispersi prædicassent & ecclesia Antiochiae
modo floreret, atque indies magis magisque cresceret, &
permulti prophetæ ab Hierosolymis profecti, illic eodem
tempore versarentur, & Barnabas ac Paulus vna cum
illis viuerent, aliaque fratrum turba istis adiungeretur:
A.R.ii. Christianorum appellatio in ea vrbe tum primum velut
ex florido & fertili solo exorta est. Agabus etiam unus è
prophetis, qui cum illis vixerunt, de fame quæ erat uni-
uersum orbem terrarum occupatura, id temporis vaticinatur.
Vnde item Paulus & Barnabas Hierosolymam usque allegati erant fratrum ministerio inferuiti.

*Quomodo post Tiberium, Caius Herodem perpetuo mul-
titans exilio, Agrippam Iudeorum regem cre-
auerat. Cap. IIII.*

Tiberius cum circiter duos & viginti annos imperiū Romanum gubernasset, abiit è vita. Huic in imperium succedens Caius confestim Iudææ præfecturæ honorem Agrippæ detulit, illumque tetrarchijs, quibus Philippus, & Lyfanius potiti fuerant, præfecit. Ad quas quidem non longo tempore post adiecit etiam Herodis tetrarchiam: Herodem (eum dico qui seruatoris passioni unā cum vxore Herodiade interfuit) & quem Caius ob varia & multiplicita crimina, quæ in vita admisisset, graui multa & suppicio afficiens, perpetuo tandem addixit exilio. Atque istarum rerum Iosepho teste utaris licet.

*Quomodo Philo pro Iudeis, ad Caium legationem
obierit. C.A.P. V.*

HVius porro imperatoris temporibus Philo magna famæ celebritate apud plurimos fuit: Vir sane, qui non nostrorum hominum solum, sed etiam Gentilium qui humanitatis ac politioris literaturæ elegantia excellebant, facile principem locum obtinuit. Genus au-

tem